

Cuilibet enim legentium apparet iudicium de Ecclesiaste & Ecclesiastico confundi, ut adeo frustra Autores Speculi Brand. B. BROCHMANDO falsationem impingant, quod Ecclesiasticum pro Ecclesiaste voluerit legi. VALENTINIANUS dicitur, quando cum Basilio, Chrysoftomo aliisque Patribus instituit inter Evangelistas comparationem, & Johannis Evangelium in certis momentis reliquis antefert, quod tamen Valentiniani solum, reliquis plane rejectis, agnoscebant, Spec. Brand. l. c. MARCIONITAE dicimur, cum non omnes libros, quos Pontificii pro Canonicis agnoscunt, pro talibus habemus, quales Historia Susannae, Danielis & alia, quae nunquam in Canone extiterunt, eamque ob causam etiam PORPHYRIANISMUM nobis imputant. Spec. Brandenb. 72. cum Porphyrius universam scripturam ludibrio habuerit, Marcionitae vero libros vere Canonicos ex Scriptura evellere voluerint, quod utrumque, an nostrae an Pontificiae potius ecclesiae proprium sit, iudicium facile institui potest. ARRIANUS, ALOGIANUS & THEODOTIANUS habetur Lutherus, quando de Epistola ad Hebraeos & Apocalypsi primis annis cum TERTULLIANO, CYPRIANO, aliisque Latinis Patribus subdubitavit, quasi & illi Patres unquam idcirco pro haereticis habiti fuerint; aut quasi propterea ex nostris bibliis expuncti illi libri, aut de novo inserti fuissent, ut Autores Speculi Brandenburg. criminantur P. II. p. 78. Novem haec convicia sunt gravissima, quibus hoc uno in loco & articulo fidei a Pontificiis immerito oneramus, quibus decimum addes, quod nos annotante B. Gerardo l. c. sub nomine Verbi-Deistarum traducant.

§. X.

In Salutari doctrina DE CHRISTO, quae per Numinis gratiam in libris nostris Symbolicis adeo pure & incorrupte tra-

tra-